



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon  
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs  
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,  
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

**Pontano, Giovanni Giovano**

**Venetiis, 1519**

Quae seruanda sint faceto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12960**

ab ira potentis haud longe abest sanguinolentia, ac uis. Qua è re effiatur, ut quemadmodum Oratoria urbanitas parum frequens esse debet, munusq; in causis, earumq; actionibus frequentata, sic et facietiarum usus rarus, ac maxime temperatus, nec quotiescunq; locus patuerit ad iocandum, poteritq; ut Cicero inquit, dictum aliquod dici, dicere id necesse ducamus. Vt enim in re omni modus retinendus est, si probari actiones nostras uolumus, sic etiam in iocando. Vtq; etiam serijs, quæ ad usum spectant, quædam tamen regula, norma q; à ratione constituta est, sic iocosa quæ ad iucunditatem, freno etiam quoddam sunt tanquam præsepibus alliganda. Si enim iocosa probantur relaxationis gratia, non eo probari debent, quo alteri ob sint, ac molestiam afferant, quod nec uiri boni, nec ciuis probi officium est, cum facetum hominem, & bonum eundem uirum, & ciuem item probum esse dicamus. Nec enim ad maledicentiam descendendum ullo modo est aut sponte, aut ex prouocatione, nisi cum honestas ratioq; id permiserit. Quo circa dicatitas neutiq; tam amica est facetudini, tamq; coniuncta, quàm est comitas, cum dicta pleraq; salsa sint, ac suo nomine sic appellentur, ridiculaq; ipsa haudquaquam semper grata, comitas uero à temperamento uix recedat. Itaq; facetum hominem aspersum comitate plurima esse oportet, quod facetudinis ipsius condimentum est.

Quæ seruanda sint faceto.

Ipsarum autem facietiarum duo cum sint genera, re q; alterum tractetur, ac nonnunquam tanquam fabella narratur aliqua, alterum dicto, in utroq; modus retinendus est faceto, idq; diligenter uidendum, ne dū alterū auet, in insulsiatatem incidat, pariatq; ipse audiētibus derisum. Non ab re autem putat Cicero mendaculis aspergi oportere præsertim fabellas, quod Oratori conducant, cuius finis est iudicem ad beneuolentiam suam trahere. Facetum quoq; nequaquam dedecuerit eiusmodi aspersio, tametsi mendacia fugienda sunt, quippe cum ornatus hic quasi quidam adhibeatur, non fraudis gratia, sed delectationis & honestæ, & naturalis.

Dictorum salforum duplex esse genus.

Sed mihi uidetur quod salsum est, dupliciter partiendum, & in quod mo-